



STATUS CAUSÆ

P R O

GENEROSIS *Friderico Vilhelmo de Heicking* *Conventus Publici extra ordinarii, die 20. Junii Anno 1767. ex Limitatione celebrati; Mareschalco, ut & Deputatis Districtuum Curlandiae & Semigalliae, videlicet Henrico Benedicto de Brincken Duneburgensi, & Uberlaucensibus, Ottone Joanne de Bystramb Nerflensi; & Ascheradensi, Friderico Vilhelmo Schöpingk Eckaviensi Neogutensi, & Baldonensi Henrico Leopoldo de Bruchen nominato Fock Bauscensi & Doblenensi, Christophoro Severino Manteufel Szoega Sesaviensi, Ottone Hermano ab Hoven itidem Sesaviensi & Candaviensi, Carolo Friderico de Pfeilitzer nominato Franck Neoburgensi, Ernesto Vilhelmo de Brugen, & Georgio Friderico de Fírks, Talsensibus Christophoro Friderico de Heicking & Christophoro Vilhelmo de Bodedik Goldingensibus, nec non Georgio Vernerio Behr & Gottardo, Ulrico Behr Durbensibus, Grobinensibus, & Haasenpotensibus, Deputatis originaliter, Citatis, cassandæ actoribus.*

C O N T R A

Generosum *Georgium Christophorum de Medem;* Ducalis *Judicii primæ Instanciæ Mitaviensis, Assessorem,* originaliter *Actorem, Cassandæ Citatum.*

MERITUM.

IN Ducatu Curlandiæ indictus fuit *Conventus Publicus extraordinarius pro die 16. Martii Anni 1767. quem Conventum, cum juxta Leges Curlandicas præcedere debuerant particulares in quolibet Districtu Conventus, propter eligendos Deputatos, & conficiendas Instructiones, ergo obvenit talis casus.*

Nobilitas Districtus Mitaviensis propter diluvium aquarum & difficile transitum, non potuit condescendere pro Conventu Districtus sui, duo tantummodo Nobiles possessionati & aliqui Ren-

A

tenarii in illo particulari Conventu Mitaviensi existentes, elegerunt in Deputatum pro Conventu Publico Generosum Georgium à Medem, Ducalis Judicii primæ instantiæ Mitaviensis Assessorem, eidemque Instructionem dederunt.

Sed postquam Generosus à Medem condescenderit pro termino Conventus Publici, Quinque Possessionati Nobiles, in Conventu particulari Mitaviensi absentes, in Literis ad Generosum Marschalcum Conventus Publici scriptis, exposuerunt querelam, super eo; quod duo tantum Nobiles possessionati cum Rentenariis, loco limitationis Conventus Mitaviensis ad adventum aliorum Nobilium, Electionem indebitè perfecerunt, & quod maximum Instructionem confecerunt, quam Nobilitas totius Districtûs acceptare & pro rata habere non potest, Juraque sua de suffragiis quam solenissimè præcustodit.

Interea Conventus Publicus ad Diem 20. Junii extitit limitatus: Quâ stante limitatione, novus Conventus in districtu Mitaviensi fuit celebratus, in quo pluralitate votorum Nobilitatis possessionatæ, Generosus Otto Hermanus ab Hoven in Deputatum fuit electus, cum Instructione, majori in parte Generoso à Medem datæ, contraria.

In termino ex Limitatione incidenti Conventus Publicus fuit reasumptus à Contradictione Deputatorum contra Con: = Deputatos super activitate, & super Duplicatis, idq; discerpantibus Instructionibus ex tribus Districtibus habitis, ubi facta etiam fuit ex parte Generosi ab Hoven, contra Generosum à Medem contradictio (ex qua orta est præsens Causa:) ut patet ex Extractu Diarii Nro 4. fol 4. Lit. E. §. è Diario Conventus.

Generosus à Medem manutenendo suam Functionem, ejus subsistentiam defenderat actu Limitationis Conventus Publici, quod à principio ejusdem fuerat in activitate fol: 6. §. Dominus Assessor.

Generosus verò ab Hoven referendo se ad Jura Curlandiæ, justificaverat, quod fuerit legitimè pluralitate votorum Nobilitatis possessionatæ electus, & debita Instructione provifus, fol: eod: §. ex diversa parte.

Ordo Equestris in hoc Conventu publico congregatus, ejusmodi controversiam, & similes ex aliis Districtibus, sopiendo, duplicatos Deputatos ex Districtibus Selburgensi, Eckaviensi & Mitaviensi circa activitatem in punctis iis, in quibus eorum Instructiones secum concordabant, reliquit, in punctis verò Instructionum discrepantibus, suffragium dictis Districtibus ademit. Legatur hæc Decifio fol: 8. Lit. H. §. post meridiem.

Hanc decisionem cum omni reverentia pro legali susceperunt illi Deputati Duorum Districtuum, jam verò Generoso à Medem conscripsit sat fusam Manifestationem cum justificatione suæ Functionis, & declaravit se, præmentionatam Decisionem Conventus, pro legali non suscepturum, nequè negotiis sui Districtus cum Collega suo invigilaturum, imò toti Conclavi Deputatorum, Nobilitatiq; Districtus Mitaviensis & Generoso ab Hoven, Processum instituturum, deinde ex loco Conventus abscessit, ejusmodiq; Manifestationem per suum amicum ad Diarium Die 7. Julii 1767. porrexit fol: 10. Lit. K. §. Mitaviensis.

Et licet ejusmodi Manifestatione Conventus Publicus offensus fuerit, tamen usus mediis tranquillis, dedit tempus Generoso à Medem ad deliberandum super corrigenda præacta Manifestatione, qua Jura Cardinalia Ordini Equæstri servientia, in dubium vocata extiterunt. Legatur Conclusum fol: 14. sub Litera L. §. Postea.

Sed hæc æquanimitas Deputatorum nihil effecit apud Generosum à Medem etenim ille ultimam Resolutionem dedit se nolle imutare manifestationem suam fol: 16. Lit. M. §. Diarium.

Postea ex parte dicti Generosi à Medem expetita fuit à Conclavi Resolutio super controversia contra eundem Generosum à Medem tanquam Deputatum Autzensem facta. fol. eodem 16. §. Allschwangenfis.

Directorium igitur ex rationibus justis in Jure fundatis, memoratum Generosum à Medem à Functione Deputati Autzensis amovit, quod tamen Generosus à Medem pro gravamine non habuit. Legatur eod: fol: 16. §. Directorium.

Et cum idem Directorium non potuerit pati illam Legibus contrariam Generosi à Medem Manifestationem, igitur emisit Ablegatos ad supremos Consiliarios cum declaratione, quod resolutum esset instituere actionem Fiscalem dicto Generoso à Medem. Legatur eodem fol: §. Domini.

In sequenti verò sessione concludebatur institutio hujus Causæ in foro competenti fol: eodem Lit: N. §. Deputati.

Ac ut de ejusmodi decisione Supremis Consiliariis innotesceret, utq; in instituendam Causam consentirent, Ablegati iterum fuerunt emissi. Legatur conclusum fol: 18. Lit. P. §. Deinde.

Sed postquam à Supremis Consiliariis subsecuta fuerit Resolutio, instituendam Generoso à Medem Causam suspensiva, igitur Conclavè Deputatorum fecit sub Die 11. Julii Conclusum, quo negotium cum Generoso à Medem respectu prærecensitæ Manifestationis

Aij

Decisioni futuri Conventus publici reservatum extitit. Legatur hoc conclusum fol: 18. §. Lit: Q. tota Congragatio.

Deinde Generosus à Medem sub Die 29. Augusti 1767. Citavit ad iudicia Serenissimæ Majestatis Vestræ Relationum propriarum Causarum Curlandicarum totum Ordinem Equestrem pro cassatione omnium in immediato Conventu gestorum. Videatur Mandatum in Processu Nro. 5.

In termino incidenti ex hoc Mandato, comparuit Ordo Equestris cum Exceptione, expetendo Remissionem hujus Causæ ad Judicium Ducale, sed visum fuit Tribunali Serenissimæ Majestatis Vestræ Causam eandem retinere, ulterioremq; processum demandare.

In procedendo Exceptio Cautiois per Generosum à Medem præstantæ resoluta, & Responso demandata.

In respondendo, quoniam in sufficientia Documenta & discordantes extractus Diarii Conventus Anni 1767. per Partes producebantur, ideo suspensa decisione Causæ, injunctum fuit Partibus, ut prosequenti Cadentia Extractum Authenticum Diarii Conventus 1767. Anni, tum quoque lauda omnia, quo ad Electionem Deputatorum, utrum unus, aut plures ex quolibet Districtu eligerentur, & quales resolutiones Conventus in ejusmodi casibus subsequerentur? comportarent, ac ut probarent utrum Hæreditarii, Hypothecarii & Rentenarii in suffragiis æquali Jure gaudeant? Pro ut idem Decretum Die 19. 8bris 1770. latum, fusius obloquitur. Nro. 5.

Ad attendendum ejusmodi Causæ in Termino advenienti, Ordo Equestris Generoso ab Hoven tanquam Deputato & insimul citato Documenta Causæ inservientia & Plenipotentiam dedit, sed cum idem Plenipotens sub Cadentia in Persona fuit sequestratus, ideò Generosus à Medem obtinuit Die 26. Octobris 1771. Decretum in Contumaciam super prædicto Ordine Equestri :

Ordo Equestris nunc primum de Decreto Contumaciali sumpsit notitiam, cum ad Executionem deducebatur, ideo pro cassatione ejusdem extradidit Mandatum, cujus Relatio Die 9. Decembris 1772. Nro. 6.

Hodie itaq; est Terminus ex Mandato ad reponendum Decretum Contumaciale edito, in quo necesse est ex Documentis in merito Causæ positis, summarie demonstrare quis, quem, & quare citat, ac qualis Processus coram Throno Serenissimæ Majestatis Vestræ hucusque tractabatur?

Generosus à Medem, tanquam Districtus Mitaviensis Instructione provivus Plenipotens, est in causa præsentis Actor, utique Instructio est

est ejus constitutum, quæ illi non ad causam præsentem, sed in materiis ad conventum spectantibus, servit.

Citavit idem Generosus à Medem totum Conclave Deputatorum, & format libellum Actionis pro cassatione omnium Decisionum in Conventu publico Anni 1767. subsequutarum.

Deductum est in Merito Causæ Extractibus Diarii dicti Conventus, quod in eodem Conventu sint Decisiones in negotiis non modo Districtus Mitaviensis, verum etiam trium aliorum Districtuum: Tres Districtus, & eorum Deputati non impugnant has Decisiones: quæritur, utrum Generosus Medem potuit & hucusque potest ex tali libello Actionis petere cassationem omnium in genere Decisionum prædicti Conventus? Et respondetur, quod non, non est enim competens Actor.

Verum quidem est, quod tres Decisiones Conventus, respiciant in parte Districtum Mitaviensem, & in parte Personam Generosi à Medem, tanquam Deputatum; Una ex illis de Die 27. Junii est talis, „ Contrarii Districtus Mitaviensis Deputati maneant, „ sed in punctis Instructionum inter se discrepantibus, suffragium hujus Districtus cessare debet. „

Utique prima parte hujus decisionis Generosus à Medem neque in Persona, neque in Autoritate Deputati est læsus, nam Persona & Autoritas ejus insimul remanserunt in Activitate, ergo nullum gravamen.

Altera pars ejusdem Decisionis „ Suffragium hujus Districtus cessare debet in punctis Instructionum discrepantibus, „ nullam quoque illi infert injuriam: Districtus etiam Mitaviensis non incusat hanc Decisionem, neque format Causam, potestne Generosus à Medem irritare hoc Conventus conclusum? & notorium, quod non, quia Instructio data fuit illi ad Conventum, non verò ad Causam, fuit Generosus à Medem sui Districtus Plenipotens, idè què si hæc læsio pro læsione reputari potest, eandem totus Districtus vindicare deberet, non verò Generosus à Medem, qui ad id nullam Plenipotentiam habet.

Proinde petita per Generosum à Medem cassatio primæ Decisionis, Activitatem Duorum Deputatorum ex Districtu Mitaviensi respicientis, nullum habet fundamentum ad competentiam Actoratus & Actionis.

Secundus Actus Conventus sub Die 8. Julii fol. 16. Lit. N. ex ratione Manifestationis per Generosum à Medem ad Diarium porrectæ, in quo concludebatur Actio Fiscalis eidem Generoso à Medem instituenda, pro nullo gravamine, reputari potest: Etenim Conclave Deputatorum læsum Manifestatione, voluit nunc pri-

B

num futura in Causa coram Judicio competenti læsionem suam ex Jure demonstrare, & pœnas demeritas super Generoso à Medem extendendas vindicare, Generoso verò à Medem non fuerunt præclusæ defensæ in futuro processu, unde nullam habet rationem querulandi contra hocce Laudum.

Insuper hocce Laudum viam ad Processum præparans, jam est alteratum per resolutionem Illustrissimi Ducis, promotionem Causæ prohibentem, & propterea Conclave Deputatorum aliud medium adinvenit vindicandi læsionem Juribus suis per præmentionatam Manifestationem illatam, cum ob denegatam actionem sub Die 11. Julii fol: 18. Lit: Q. per subsequens Laudum rem hanc Decisioni futuri Conventus reliquit: Unde prætere hujus Actus, nullum gravamen continentis, & jam mortificati, cassationem, Generoso à Medem nulla justa ratio adest.

Nequè habuit Generosus à Medem rationem, ultimarium Conventus Actum præmissam controversiam decisioni futuri Conventui reservantem, accusandi, pro cassationeq; illius agendi.

Nam idem Actus, supra in merito perlectus, nihil plus continet quam narrativam de præcipitantiâ Generosi à Medem in porrigenda Manifestatione, Jura Conclavis Deputatorum lædentè, & de æquanimitate Conclavis in proposita Generoso à Medem correctione dictæ Manifestationis, ac in re ipsa, reservationem cognitioni futuri Conventus, num hac Manifestationè Jura Conclavis Conventus sint læsa?

Quale ergo præjudicium Generosus à Medem ejusmodi conclusio illatum sibi esse prætendit? utiq; per hoc Conclusum non est declaratus pro Convulsore Legum, cum id resolutioni sequentis Conventus sit reservatum, non est judicatus ad pœnas, ut in sua Citationem objicit, nam & hæc à futura decisione dependebant; Manifestatio illius utrum competenter, vel non? facta, & læsio totius Conventus ex hac Manifestatione promanans, relicta fuerunt cognitioni sequentis Conventus, ubi & coram quo de Jure? ratione earum esset agendum? nullibi tamen sunt præclusæ defensæ Generoso à Medem.

In his momentis Causa præsens ex Actoratu Generosi à Medem ad Thronum Serenissimæ Majestatis Vestræ Anno 1770. introducta & eodem modo, quo ad præsens, ex parte Odinis Equestris justificata fuit, sed Tribunal Serenissimæ Majestatis Vestræ Decisionem super his omnibus exceptionibus & circumstantiis, propter discordantiam Extractuum Diarii Conventus Anni 1767. ad productionem illius Extractus Authentici, suspendit per verba „ Et quoniam in directa responsione multæ circumstantiæ Causam hanc „ attingentes per Partes utrasque adducuntur, quæ sufficientior „ rem ex Documentis exigunt enucleationem, Extractus quoq;

„ ex Diario Conventuali de Die 11. Julii Anni 1767. per u-
 „ tramq; Partem producti, inter se discrepant; Proinde suspensa
 „ decisione istius Causæ, quatenus Partes Authenticum Extra-
 „ ctum Diarii idiomate, prout scriptum erat, producant. „

Nunc, cum in satisfactionem Decreto Serenissimi Iudicii Extractus
 Authenticus totius Diarii Conventus 1767. producitur? Lauda
 supra de tenore exarata nulli dubio obnoxia esse comperiuntur,
 & Serenissimum Judicium defensas supra ad incompetentiam A-
 ctoratus & Actionis Generosi à Medem adductas, facile cogno-
 scere potest.

Nihil superest, nisi, ut in altera Cathegoria respectu potestatis Con-
 ventus Publici, utrum potuerit ejusmodi Sancita facere, vel non?
 demonstretur, in qua Cathegoria ulterior sonantia Decreti Se-
 renissimi Judicii talis est.

„ Lauda quoque post Formulam Regiminis, quod ad Electiones Depu-
 „ tatorum, utrum unus sive plures à quolibet Districtu elige-
 „ bantur, & quid in casibus controversiæ inter Deputatos, atq;
 „ occasione legalitatis Electionis Deputatorum in Conventi-
 „ bus subsecutum, exempla quæ evenerant, exhibeant, atq; u-
 „ trum Hæreditarii, Hyppothecarii, & Rentenarii æqualitate,
 „ quo ad Electiones in Deputatos, cæteraquè munia & Officia
 „ Ducatum gaudebant, probent, demandamus, pro futura Ca-
 „ dentia. „

Satisfaciendo & in hac Cathegoria Decreto Serenissimæ Majestatis Ve-
 stræ, quo ad numerum Deputatorum, quot illorum unusquisque
 Districtus habere potest? exhibentur Documenta; Utpote Formu-
 la Regiminis de Nuntiis ex Districtibus Anni 1617. dicit §. 26.
 „ Conventus publici singulis bienniis Mitaviæ celebrentur, ad
 „ quos singuli Districtus, postquam Articulos deliberatorios na-
 „ cti fuerint, Nuntios duos ablegabunt. „

1642. Laudum publicum Conventus vim Ordinationis habens, in quo
 etiam de Deputatis in generali mentionatur. Sub Nro. 1. Litt.
 W. „ Deputatos eligant, & ablegant hæcq; omnia &c.

1727. Nro. eodem 1. Litt. Cc. Laudum Conventus, cujus subscriptio-
 nes Deputatorum demonstrant, quod illorum Duo ex quolibet Di-
 strictu fuerint. Legatur.

Ejusdem Anni alterum Laudum sub Lit: Dd. itidem Duorum Depu-
 tatorum ex quolibet Districtu subscriptiones continet. Legatur.

1763. Litt. Ee. Laudum, quod Duo Deputati ex quolibet Districtu sub-
 scripserunt; Legatur.

Bij

Quod vero **Conventus** possit non tantum **negotia Publica**, sed etiam **evenientes inter Deputatos controversias resolvere?** sequentia id evincunt **Documenta**.

1642. **Laudum publicum Sum: Nro. 1. Litt: W. §. in verbis** „ Nihilominus id, quod per **majora præsentium Deputatorum conclusum fuerit**, apud **universum Ordinem Equestrem in perpetuo valore ac robore manuteneri debetur.** „

1617. **Formula Regiminis §. 81. ibi** „ **Ordine in dicendis Sententiis** „ **observato, qui á Marschalco quem in singulis Conventibus** „ **eligent, constituetur, Sententiæ sint liberæ Directoris jussu** „ **proferendæ &c.** „

1730. **Laudum Summario eodem sub Lit: X. §. 27.** „ **Ut etiam al-** „ **tercationes quæ in Conclavi Deputatorum hucusque sæpius** „ **evenerunt; omnino cessent, statuitur, ut qui prædicto modo in-** „ **decenter se gessisse, argui posset, ad delationem pecunia vel** „ **carcere, tanquam ex Termino tacto à Ducali Regimine mul-** „ **ctetur.** „

1750. **Summario 1mo. Litt. Bb. Laudum, quo unus Deputatus Fun-** „ **ctione abjudicatus, & alteri ex eodem Districtu Deputato Activi-** „ **tas adjudicata. Legatur.**

1760. **Laudum Summario 4. fol. 2. Lit. A. & B. quo ex duabus In-** „ **structionibus, una pro legali agnita. Legatur.**

Summario eodem Similia Lauda Anni 1763. sub Lit. S. T. U. Contro- „ **versias inter Deputatos, respectu duplicatarum Instructionum,** „ **in Conclavi Deputatorum facilitantia.**

Igitur ex supra aductis clare patet, Conclave Deputatorum potuisse „ **differentias duorum Mitaviensium Deputatorum, in Conventu pu-** „ **blico 1767. intervenientes, sopire.**

Occurrit adhuc necessitas demonstrare Prærogativas Nobilium Posses- „ **sionatorum & Rentenariorum, quales vigore Legum Curlandica-** „ **rum hujusmodi Nobilibus ex antiquo serviebant.**

Privilegium Serenissimi Sigismundi Augusti Nobilitati Curlandicæ Anno „ **1561. datum id continet §. 5., Ut solis Indigenis & bene Possessiona-** „ **ris, Dignitates, Officia & Capitaneatus, ad instar Terrarum Prus-** „ **sicæ conferantur.** „

Formula Regiminis Anni 1617. §. 3. dicit „ **Nomine autem Indigena-** „ **rum, etiam Poloni & Lithvani, Nobiles, in Ducatu bene Pos-** „ **sessionati, comprehendantur.**

Item

Item §. 29. „ In Conventibus illi tantum ad Consilia accedant, qui
 „ per Leges et consuetudines admittuntur, omnibus aliis, qui
 „ Jus Suffragiorum non habent, penitus esclusis. „

Laudum publicum Anni 1642. Summario 1 Lit. W. Ordinationem
 in se habens, edisserit §. 3. „ Ut possessionati in districtu ad
 „ locum Convocationis, convocentur, Deliberatoriæ, prævia
 „ earundem per Tabellarium prædialem in Curias circummissi-
 „ one facta, proponantur. „

**Vigore horum & aliorum Jurium Cardinalium utique omnes Præro-
 gativæ & Suffragia competeabant nonnisi Nobilibus Possessiona-
 tis ?**

**His non obstantibus Nobiles Curlandiæ impossessionati in Conventu
 Mitaviensi Anni 1684. cum pauci fuerunt Possessionati districtu-
 ales Deputati, inseri fecerunt Laudo punctum, quo mediante
 impossessionati ad omnes Dignitates admissi extiterunt.**

**Sed contra ejusmodi punctum, uti Juribus Possessionatorum derogans,
 duo Deputati solennem emiserunt Manifestationem in Actis Ju-
 dicii Ducalis Primæ Instantiæ Mitaviensibus Die 7. Augusti 1683.
 quæ ponitur Nro 2do.**

**Tandem præfati Nobiles Rentenarii cupientes sibi appropriare Præ-
 rogativas Possessionatorum, invenerunt commodum tempus
 stante motu in Ducatu Curlandiæ Anno 1763. quo Anno sub
 Die 19. Julii lucrati sunt favore sui Laudum, Summario Nro.
 1. Lit. Aa. §. 16. tale „ Gratificamus quoque, ut cum vaga de-
 „ terminatio Fæneratorum in Conventibus Provincialibus va-
 „ riis confusionibus ansam præbuerit, hæc diversæ explicationi
 „ subjecta materia & sequenti modo determinatur. 1mo. Quili-
 „ bet Rentenarius Summam Capitale[m] sub fide honoris & con-
 „ scientiæ suæ indicet. 2do. Suffragium nonnisi antea in Con-
 „ ventu publico qua Fæneratorem se indicaverit, et Diario in-
 „ seri fecerit, exerceat. 4to. Æque ac Domini Hæreditarii ad
 „ omnia onera Patriæ pro rata contribuere tenentur. 5to. Si
 „ semel Suffragio renuntiaverit, nunquam eo uti potest. „**

**Dubium adusque circa ejusmodi Laudum occurrit, utrum illud per-
 petuum robur habere valeat ex sequentibus rationibus: Etenim**

**1mo. Idem Laudum factum est tempore turbulento in Ducatu Cur-
 landiæ, factum est per Rentenarios, cum major pars Nobili-
 um Possessionatorum abesset à Conventu.**

**2do. Materia hæc per Pacta subjectionis per Privilegia & Formulam
 Regiminis resoluta, quod nonnisi solis Indigenis bene Possessio-
 natis, exclusis aliis, Prærogativæ & Suffragia competant, non**

potuit per Laudum vel diminui, vel aliis Personis applicari ob-
stante Formula Regiminis Anni 1617. supra adducta §. 27. in
verbis „ In quibus Conventibus nihil decerneretur, quod Pa-
„ ctis subjectionis, Ducalibus Investituris, & huic Regiminis For-
„ mæ sit contrarium, horum enim omnium, æterna authori-
„ tas esse debet „ &c.,

§tio. Etiamfi hocce Laudum Formulæ Regiminis & Privilegiis con-
trarium ex permissione Nobilitatis Possessionatæ in suo valore,
manuteneretur, tamen juxta illud quilibet Rentenariorum (è-
quorum numero est Generosus à Medem) obstrictus est satis-
facere conditioni in Indicatione Summarum sub fide honoris &
conscientiæ, quam conditionem neque Generosus à Medem, ne-
que quispiam Rentenariorum hucusque adimplevit, etenim Sum-
mas pecuniarias nonnisi pro arbitrio suo, non vero sub fide con-
scientiæ, consignarunt; Est autem necessitas omnino servan-
dæ hujusce conditionis, nam soli tantum Possessionati habentes
Prærogativam Suffragiorum & Dignitatum supportant onera pu-
blica, Rentenarii vero cum pro arbitrio partem tantum Sum-
mæ indicant, ex ejusmodi indicatione non supportant onera cor-
respondentia Summis habitis, proinde abstinere debent à præ-
tensis prærogativis.

In præsentī ideo *Causa* comparent *Partes* coram *Throno Serenissi-
mæ Majestatis Vestræ* in *Termino* ex *Mandato* ad cassandum
edito, & pro *decisione* mutuorum *Actoratum* instant.

Conclave Deputatorum Anni 1767. *Actoratum* suum, pro *cassatione*
sine *pœnis* *Condemnationis* Die 26. *Octobris* Anno 1771. ex *parte*
Generosi à Medem obtentæ, institutum, sequentibus justificat;

Citatum Conclave Deputatorum non fuit in *comparendo* *renitens*,
cum miserit in hacce *causa* *Ablegatum* *Generosum* ab *Hoven* si-
mul *Citatum*, & *eidem* *Plenipotentiam* ad *tuendam* *Causam*
dederit.

Hic Plenipotens Anno 1770. *inscripsit* *Comparisonem*, & pro *Ter-
mino* *conservato* *habuit* *transmissa* *sibi* *Documenta*, *juxta* *oblo-
quentiam* *Decreti* *Serenissimi* *Judicii*, *habuit* *quoque* *commisam*
sibi *promotionem* & *defensionem* *Causæ*, cum *verò* *sine* *culpa* *No-
bilitatis* in *Persona* *sequestratus* *extitit*, igitur *nequè* *ille*, *neque*
reliqui *Concitati* *sunt* *in* *culpa*, quod *super* *iisdem*, *ex* *casu*, *inde-
fensis*, *Generosus à Medem* *Condemnationem* *obtinuerit*.

Insuper *hæc* *Condemnatio* *continet* *in* *se* *enormitatem* *lucris*, *etenim*
illo *mediante* *Citati* *Deputati* *ad* *solvendos* *Generoso à Medem*
Thaleros 3000. *pro* *litis* *expensis*, *sunt* *obligati*, *pænalitas* *super*
dictis *Deputatis* *ad* *Summam* *Thalerorum* 1500. *ascendens*, *in-
debitè* *est* *extensa*, *narrativa* *ejusdem* *Condemnationis* *cum* *origi-*

nali Termino & cum Documentis non concordat, nam motiva posita sunt ,, temerarie procedendo Jurisdictionem Judiciariam ,, sibi arrogarunt, ad deprecationem Stubæ adstrixerunt &c: ,, Lauda vero talia (ut supra justificatum est:) utique non reperiuntur, nequè etiam terminus eadem objecta comprehendit.

Unde Condemnatio ista, ex plus obtento & enormitate Lucri, cum Citatione & Documentis non convenienti, ac etiam ex Casu Plenipotentis, Jure & Justitia svadente, est cassabilis.

Ex Actoratu verò Generosi à Medem juxta originale Terminum in negotio principali edito, seu potius ex Instantia circa Decretum Suspensionis Decisionis, in scripto porrecta, sequentes Actus disputantur.

1mo: Electio in altero Conventu Mitaviensi facta, in quo Generosus ab Hoven in Con-Deputatum electus, & Instructione provifus, fuit.

2do. Omnia Conclufa Conventus Publici à Die 11. Junii ad ultimam Augusti 1767. subsecuta.

Ad quod 3tio. Æquale Jus Suffragiorum cum Nobilitate possessionata per Rentenarios prætenfum Respondetur, & quidem quod attinet validitatem Actus Mitaviensis? hic irritari per Generosum à Medem nequit, nam Generosus à Medem Nobilitatem huncce Actum celebrantem, non citavit, igitur Actus non Citorum, nequè increpari, nequè sine justificatione & Termino sufferri potest: Citavit ille quidem suum Con-Deputatum Generosum ab Hoven, sed nihil in sua Citatione respectu subsistentiæ nec ne? memoratæ Electionis, concludit: Sed etiam si concluderet, utiq; Plenipotens pro Principali Constituyente non tenetur respondere.

Neque potest Generosus à Medem disputare omnia Acta Conventus Publici Anni 1767. nam hæc respiciunt etiam aliorum Districtuum negotia, jam resoluta, quæ nec per Deputatos, nec per Districtus quæstionantur.

Imò nequit ille in dubium vocare tres Actus ad Districtum Mitaviensem de Activitate Deputatorum, se se regulantes, nam justificatum est supra Documentis, quod ejulmodi Resolutiones dare? competat Conclavi Deputatorum Conventus Publici, & quod iisdem Resolutionibus nullum gravamen Generoso à Medem sit illatum, tum quod Lauda & Resolutiones Comitiales ab universo Ordine, juxta Formulam Regiminis, observari debeant, ac insuper quod prælibatæ Resolutiones non in figura Judiciali (ut obijcitur) sed in potestate Comitiali fundentur, ut id palpabiliter ex Juribus & Documentis apparet: Undè eruitur Actionem Generosi à Medem vexatoriè fuisse institutam.

Cij

Insuper Generosus à Medem est de numero Rentenariorum, quorum Dignitates & Suffragia ex prætenso Laudo Anni 1763. per Nobilitatem Possessionatam nonnisi tollerantur, & cujus Laudi Cardinalem conditionem Generosus à Medem non adimplevit, quodque utrum subsistere debeat tanquam contra Jura Cardinalia Nobilitatis Possessionatæ, in controverso est, potestne ille qui non habet plenam & indisputabilem activitatem invertere id, quod Convencus Publicus in fundamento Legis statuit?

Quapropter ex supra adductis.

CONCLUDITUR.

SA CRA Regia Majestas Dominus Clementissimus, Condemnationem super originaliter Citatis ex Parte Generosi à Medem obtentam, dignabitur sine pænis cassare, originaliter Citatos, cassandæ Actores ab Actione per Generosum à Medem vexatorie mota, liberare, Citationem in ea editam cassare, pro objectis & non probatis Actorem pænas incurrisse, Rentenariosque æquali Jurè Suffragiorum cum Nobilitate Possessionata, non posse gaudere declarare, & in expensis Litibus condemnare.

